



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. An etiamnum in locis, ubi decretum Concilij Tridentini non est
receptum, aut promulgatum, matrimonia clandestina sint valida?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

*An etiamnum in locis, ubi decre-
tum Concilij Tridentini non est receptum,
aut promulgatum, matrimonia clan-
destina sint valida?*

Respondetur affirmativè, sive de-
inde locus ille, ubi Decretum hoc
Tridentini promulgatum, sive receptum
non est, sit Catholicus, sive hæreticus,
qui Conciliu[m] exp[re]sse dicit, decretum
hoc suum invalidans matrimonia clan-
destina, robur suum non habere, nisi in
Parochia aliqua publicatum illud fuerit,
& quidem post triginta dies à die facta
prima promulgationis; & hinc non tan-
tum certum est, quod Christiani apud
Treas v. g. captivi, aut mercatores v. g.
Inter infideles viventes, &c. possint validè
in illis locis clam contrahere, sine præ-
sentia Parochi, & testium, etiam si in loco
domicilii Tridentinum sit receptum, sed
probabile etiam est, eos etiam, qui ad
terras tales, ubi Tridentinum promul-
gatum, aut receptum non est, animo
contrahendi clandestinè discedunt, vali-
dè contrahere clandestinè, cùm pere-
grini legibus illius patr[ic]e, præsertim circa
contractus, accommodare se possint,
(iñsi peculiariis aliqua lex obster.) & qui ex
patria discedunt, ubi Tridentini decre-
tum hoc receptum non est, non possint
in loco, ubi receptum Tridentinum,
quaod hoc decretum est, validè clande-
stinè contrahere, cùm plerunque in ma-
teria contractuum ejus loci leges, & so-
lemnitates servare debeant contrahentes,
ubi contrahunt. Vide plura de his apud
Theologos Morales.

§. III.

*Vtrum necessarium sit ad valorem
matrimonij, ut assistat proprius utriusque
contrahentis Parochus, & intra propriam
Parochiam, & qualis præsentia Pa-
rochorum, aut testium re-
quiratur?*

Ad primam questionem jam respon-
sum fuit, sufficere scilicet, si alteru-
trius, sponsi scilicet, vel sponsæ, Paro-
chus, vel ordinarius assistat, quamvis
sit excommunicatus, suspensus, vel irreg-
ularis, modò actualiter non sit depo-
sus, & quamvis titulum tantum colora-
tum habeat cum communi errore, &c.
tum quod idem utriusque sponsi, quoad
hunc actum, hujus Sacramenti censeatur
Parochus, tum quod Sacerdotii qualitas
in Parocho non petatur à Concilio, tum
quod Sacerdotii qualitas in Parocho non
petatur à Concilio, tum quod censuræ
illæ non tollant rationem Parochi proprie-
tati, & assistentia talis non tam sit actus
jurisdictionis, quem fortasse taliter cen-
surus exercere non potest, sed sit actus
testimonii, ex dispensatione juris ad va-
lorem matrimonii requisitus, ad quod
sufficit etiam titulus tantum coloratus
cum communi errore. Imo vagi contra-
here possunt validè & licet coram quolibet
Parocho, juxta probabilem senten-
tiā; probabilius tamen est, quod co-
ram eo Parocho legitimè tantum contra-
hant, in cuius Parochia tum versantur,
cūm alia etiam Sacraenta ab hoc petere
& percipere debant: quicunque tamen
Parochus vagos tales conjungit, diligen-
ter præstare debet, qua ip[s]i à Triden-

PPP p 3

tino